Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 18. Februarii.

M. JOANNE-BAPTISTA DOYE, Doctore Medico, Præside.

An Ischuriæ Emeticum?

SERUM pars aquosa ciborum & potûs, non alit partes, inseruit tamen nutritioni. Corporis utile dicitur excrementum. Dissimiles molis sanguineæ substantias commiscet, ac ipsi necessariam tenuitatem fluxibilitatemque confert, sine quâ per angustissimos quosque ductus neutiquam esset meabilis, etiam in latioribus hæreret viis. Ejusdem impuriores abluit particulas, & unà secum tum per sudores, tum per urinas evacuat. Collige hinc sudoris & urinæ materiam eamdem esse; quæque perpetuò fit per spiramenta cutis vix obvia sensibus exhalatio, vaporosi seri præsertim exspiratio est. Exclusio hæc perennis ita est ad vitam necessaria, ut in ipsâ vita posita sit. Verùm quoniam in alimentis plurimum humoris aquei dominatur, plurimum quoque seri quotidiè gignitur; atque non exilibus tantùm iisque externis, sed insignibus iisque internis opus fuit meatibus, per quos sufficienter evacuari posset.

PER quamcunque viam evacuetur serum, primùm oportet à mole sanguineâ secerni. Munus est glandularum secretio. Sanguis è corde per arterias effusus advehitur quoquoversum; tum glandulæ, fibrillæque, & quæ ex fibrillis efformantur carunculæ ab ipso serum separant. Mirum sanè quàm peculiaris sit in unâquaque parte corporis pororum dispositio. Caveamus tamen ne huic uni singula, quæ vulgò dicuntur Naturæ opera, referamus. Dicat enim aliquis quare serum sanguini admistum per renum & glandularum poros sine ullo sanguine defluat, cum interim pus è thorace delatum, ipso sanguine multò crassius per eadem spiracula sæpissimè dilabatur. Sanguis ad renem advectus revehitur per emulgentem in cavam; serum in pelvim destillat, indèque per ureterem in vesicam urinariam demittitur.

QUAMDIU floret sanitas quæ functionum integritate continetur, ita res indesinenti motu peragitur. At quàm funestæ prædictis in partibus quotidiè nascuntur ægritudines. Has inter præsentissimum videtur importare periculum Ischuria, cujus causam qui refundunt in imbecillitatem expultricis, non benè videntur ponere calculum: Neque rem satis planam faciunt qui obtusum arguunt vesicæ sensum, nisi fortè, cum invasit paralysis. Ubi à spinâ sauciatâ, vel à vertebrâ luxatâ provenit, maximè si spasmo corripiatur æger, lethalem puta. Frequens Ischuriæ causa est astrictio, frequentior obstructio, quam ulcus, quam pus, grumique sanguinis, quam callus, quam calculus, quam etiam sæpè parit caruncula, tumorque cujuscunque generis. Sua sit his singulis, quantùm adhiberi potest, Medicina. Nùm verò nimiâ seri redundantiâ gravatæ sunt partes? Nùm sunt distentæ? Nùm lentis & viscosis humoribus meatus sunt infarcti, intercepti, obturati? quâ ratione promptiùs tutiùsque liberari possint sub judice lis est.

NIMIUM ne fide largis diureticorum potionibus, Idroticorum nequaquam; hæ & illæ nullius sæpenumerò sunt efficacitatis, vesicam opplent, fiuntque corpori graves. Parvæ esse debent existimationis inter Medicos fotus, exterioraque linimenta. Confert balneum aquæ dulcis, sed nonnisi pluries repetitum. Nec prosunt epotæ nisi post longum temporis intervallum aquæ minerales. Quin & enema frequens utile, tamen interdum inutile, noxium imò, quoniam alvum distendit, & implet flatibus, ægrèque secedit. Catharsis pariter bona, modò non impeditis in partibus hæreat, nec in ipsas majorem humorum colluviem derivet. Ex his palmam ferre debet Emeticum à quo tutior, celeriorque, & jucundior expectanda salus. Etenim dum partes vesicæ superiores medicamentum summovet, mirificè percellitur vesica propter nervos ipsi cum ventriculo communes, Musculorumque abdominis contractione comprimitur deorsùm; jam verò ubi summotæ partes recidunt in vesicam, nova fit iterùm vesicæ depressio.

QUID tùm? commoto toto corpore, vesicâ concussâ & compressâ, præclusæ prorumpunt aquæ, præfocationisque metus amovetur. Qui molliùs se gerunt, timiditatis suæ sæpè luunt pænas. Neque verò cunctari licet; Elapsa semel haud facilè reprehenditur occasio, adhuc salvâ partium substantiâ, nondum exacerbatis humoribus, stantibusque viribus ægrotantis solvendus est morbus. Quod si causa continens Ischuriæ tenaciùs in partibus hæreat; cum in omni urinæ suppressione fiat seri recursus ad venas, symptomaticâque translatione caput afficiatur; & cum serum illud turgens mochlico quàm primùm educi debeat, nec ullâ possit evocari commodiori viâ quàm per vomitum, quo non à vesicâ tantùm, sed & à cerebro revellitur; sanè quæ supervenire solent Ischuriæ symptomata saltem Emetici beneficio præcaventur.

Ergo Ischuriæ Emeticum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Baptista Doye, Præses.
M. Urbanus Leaulté.
M. Michael Pichonnat.
M. Franciscus Picoté de Bellestre.
M. Nicolaus Bailly.
M. Joannes Duval.
M. Abrahamus Thevart.
M. Nicolaus Lienard.
M. Philippus Douté.



Proponebat Lutetiæ JOANNES GELLY, à sancto Paulo de Fœnouilledes, Electensis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1694.